



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvscvla Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis

Marca, Pierre de

Parisiis, 1681

Capvt Primvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14704

gia deleri debet, vel potius cauterio inu-
ri; quia primatum, quem in regimine uni-
versalis Ecclesiæ solus Petrus obtinuit ex
ore ipso Christi, per indebitam compara-
tionem cum primatu Pauli, qui versaba-
tur in solo ecclesiasticæ institutionis ma-
gisterio, ut loquitur Maximus Taurinensis,
penitus labefactat.

Quare non solum à traditione antiquo-
rum patrum alienam, sed etiam juri di-
vino contrariam propositionem illam
censeo.

D I S S E R T A T I O

*De discrimine clericorum & laicorum ex jure
divino, & de forma regiminis à Chri-
sto instituta in Ecclesia.*

C A P V T P R I M V M.

I. **E**CCLESIAE Christianæ corpus in
duas præcipuas partes ab antiquis
divisum fuit, in clericos scilicet atque lai-
cos. Nec dubitandum puto quin hæc no-
mina, Græcæ cum sint originis, ab ipsis
Apostolorum temporibus ex Græcarum
scripturarum usu inducta fuerint. Eorum
mentio frequens in canonibus apostoli-
cis, quorum vetustas & auctoritas in

oriente commendata est. Germanæ Ignatii Antiocheni epistolæ quas Vossius edidit è codice Florentino, in hoc capite ab aliis editionibus non diversæ, clericorum & laïcorum vocibus utuntur; quemadmodum & Origenes tum alibi, tum in loco qui prolatus est hoc capite. Recepta fuit in occidente Græcanica isthæc appellatio; ut patet ex Tertulliano, cujus testimonia expendentur capite sequenti. Vnde facile fuit Cypriano admissum à decessoribus suis clericorum nomen frequentare, ut facit epist. xxxiii. lxxvi. & alibi. Nicænæ synodi auctoritate firmatus deinde harum vocum usus in posteros manavit. Clericos habes in canone secundo, & laicos in quinto. Quam clericorum appellationem iis passim tributam ætate sua qui ministrorum vicem implebant in Ecclesia catholica adnotavit Constantinus M. apud Eusebium lib. x. hist. cap. vii.

II. Ea Christiani nominis distinctio, verbis originis Græcæ significata, ut levem fortè in laici explicatione difficultatem præferat, sic operosam & non contemnendam in clericorum nomenclatura discutienda. Sed antequam hoc aggrediamur, proponenda est quæ veteribus placuit clericorum definitio. Constantinus Imp. in l. ii. Cod. Theodos. De Episc. &

Cler. sic illos explicat : *Qui divino cultui ministeria religionis impendiant.* In rescripto ejusdem Principis ad Anulinum eadem sententia exprimitur his verbis : *Quare eos qui in provincia tuæ fidei concredita, in Ecclesia catholica cui Cæcilianus præest, huic sanctæ religioni sedulò inserviunt, quos clericos nominare solent, ab omnibus omnino communibus & civilibus reip. ministeriis immunes ac solutos volo.* Veræ nominum istorum origines intelligi poterunt, tum ex antiquorum interpretatione, tum ex nostra. Sed priùs aliqua in antecessum præmittenda sunt.

Apud Euseb. lib. 10. hist. c. 7.

III. Solenne fuit olim agros devictarum gentium inter duces atque milites victoris exercitus sorte jacta partiri. Vnde factum ut agri portio illa quæ cuique sortitò contingebat, *κλήεις* sive fors diceretur. Quare quando terræ illius Chananæ à Deo posteris Abrahami promissæ partitio instituta est inter duodecim tribus, ut tota illa divisio *κληροχία* dicta est apud septuaginta interpretes, sic quæ singulis familiis pars agri sorte obtigit, *κλήεις* sive fors dicta est. Eadem ratione quæ singulis Lacedæmoniorum civibus agri Laconici portio à Lycurgo assignata est, *κλήεις* dictam fuisse Plutarchus adnotavit. Illud idem nomen obtinuit apud Athenienses

quæ unicuique è civibus pars agri man-
cupii jure possidenda per legem agrariam
tributa est, ut observat Aristoteles. Quo
exemplo quas à devictis populis ereptas
agrorum partes victores Vandali in se
transulerunt, sortes sive κλήρως Vanda-
lorum dictas docuit Procopius.

IV. Verùm ut omissis exterarum gen-
tium moribus, ad Iudæorum instituta re-
deamus, unde loquendi usus ad Christia-
nos derivatus est, satis nota sunt apud
septuaginta interpretes loca illa scriptura-
rum in quibus cleri significatio singulo-
rum civium hereditatem & soli possessio-
nem demonstrat. Inter cetera, Geneseos
cap. XLIX. Issachar dicitur *requiescens in-
ter clericos*, id est, tranquillè in patrimonio
sui possessione degens. Sic *Judicum* v.
Debbora indignationem suam adversus
Rubenitas exprimens quòd à pugna se
subducerent, lares suos colendo, negle-
cta publicæ rei cura, *Quare*, inquit, *ha-
bitas inter duos clericos ne audias sibilos gre-
gum?* Ex qua loquendi formula explican-
dus est vexatus ille variis eruditorum in-
terpretationibus psalmi Davidici LXVII.
locus: *Si dormiatis inter medios clericos,*
pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora
dorsi ejus in pallore auri. Significat enim
tam sollicitam fore Dei pro Israëlitici po-

puli tuitione curam ut tranquillè intra patrimonii quisque sui terminos securus conquiescere possit, statu rerum suarum adeo florente ut non cedat splendori candentis columbæ, quæ cum ipso fulgore argenti & auri contendit. Possent plura hujus significationis testimonia adduci, ni satius esset progredi ad ulteriora.

V. Diximus divisam fuisse regionem Chananæam duodecim tribubus, relicta Levitica tribu absque ulla agri assignatione. Verumtamen cum Deus illam sui cultus ministerio reservasset, se ipsum illius sortem κληροσύνην atque hereditatem fore pronuntiavit Numer. xviii. & Deuteron. xviii. Quare ut Levitici generis familiæ haberent unde se commodè exhibere possent, decimas frugum à reliquis tribubus Deo pendendas, unà cum victimarum partibus, illis delegavit Deus. Itaque & jura illi ut domino à populo Israëlitico debita fuerunt pro sorte & hereditate Leviticæ tribus. Vnde profectus est ille loquendi modus apud Davidem psal. xv. qui licet ex alia tribu, eò quòd eximie & præ ceteris divino cultui se devovisset, Deum agnoscit ut hereditatis suæ partem, *Dominus pars hereditatis meæ*, ac si esset per spiritum ex Levitica tribu. Ad illud exemplum tum Leviticæ tribus, tum pio-

rum hominum, qui apud Christianos di-
 vinis ministeriis erant specialiter manci-
 pati, Dominum sibi pro sorte & clero
 agnoscendum profitebantur. unde clerici
 dicti. Hæc interpretatio hausta est ex Hie-
 ronymo in epistola ad Nepotianum: *Igi-
 tur clericus, qui Christi servit Ecclesie, in-
 terpretur primò vocabulum suum, & no-
 minis definitione prolata, nitatur esse quod
 dicitur. Si enim κληρὸς Græcè, sors Lati-
 nè appellatur, propterea vocantur clerici,
 vel quia de sorte sunt Domini, vel quia
 ipse Dominus sors id est pars clericorum est.
 Qui autem vel ipse pars Domini est, vel
 Dominum partem habet, talem se exhibere
 debet ut & ipse possideat Dominum, & pos-
 sideatur à Domino. Qui Dominum possidet,
 & cum propheta dicit, Pars mea Domi-
 nus, nihil extra Dominum habere potest.
 Quòd si quippiam aliud habuerit præter
 Dominum, pars ejus non erit Dominus. ver-
 bi gratia, si aurum, si argentum, si pos-
 sessiones, si variam supellectilem, cum istis
 partibus Dominus pars ejus fieri non digna-
 bitur. Si autem ego pars Domini sum &
 funiculus hereditatis ejus, nec accipio par-
 tem inter ceteras tribus, sed quasi Levita
 & sacerdos vivo de decimis, & altari ser-
 viens, altaris oblatione sustentor, habens
 victum & vestitum, his contentus ero, &*

nudam crucem nudus sequar. Ex quo Hieronymi loco docemur clericorum Ecclesiæ inde nomen ductum quòd Dominus sit eorum pars, eò quòd se illius cultui manciparunt, ut jam monui. Quod autem inde colligit illos ex eo jus quæsitum habere ex decimis & ex altari vivendi, atque adeo necessum esse ut his sint contenti, confirmatum quoque est canonicis Carthaginensibus & ab Augustino, aliisque à patribus traditum, qua de re alibi.

VI. Isidorus Hispalensis ad originationem ab Hieronymo prolatam aliam adjungit lib. VII. origin. cap. XII. clericos nempe dictos quòd Matthias primus ab Apostolis sorte adlectus sit in ecclesiasticum ordinem. quod ex Augustino mutuatus est in psal. LXVII. *Cleros & clericos hinc appellatos puto qui sunt in ecclesiastici ministerii gradibus ordinati, quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum.* Id sanè nominis etymon frigidum videri posset, nisi observatione sequenti adjuvetur, quæ docebit ex sortitione Matthiæ non ineleganter trahi posse clericorum originem. Sed alio tramite ducenda est quam factum fuit hactenus. Certum est *Actor. cap. i.* jactas sortes ut Deus consilium suum

aperiret quis è duobus Barsaba & Matthia in Iudæ quondam Apostoli locum cooptandus esset, sortemque Matthiæ contigisse. Dubium non est quin fors ista peracta fuerit more illo qui usurpatus fuerat in terræ divisione. Conjecta sunt scilicet in urnam duorum nomina schedis inscripta, atque in alteram urnam binæ schedæ immissæ; quarum altera vacua, altera nomine *Apostolus* inscripta. Eductis deinde ex utraque urna binis schedis, nomen Matthiæ cum nomine apostolatus emerfit. quod his verbis Lucas significat: *Cecidit fors super Matthiam, ἐπευσεν ὁ κληθεὶς.* Adeum modum David sacerdotum functiones sorte distribuerat i. *Paralip.* xxiv. Quare sacerdotes sorte illa destinatos Iosephus vocat κληρωτοὺς δὲ χειρεῖς. Quod enim Dei ministerium adtingebat, illius iudicio per sortes jactas committi congruum esse videbatur. Qui sensus etiam gentiliū animis infederat, ut patet ex Platone sexto de legibus; qui docet illa quæ ad sacra pertinent, Dei forti & divinæ fortunæ, θεῖα τύχη, permittenda esse. Itaque fors illa in Matthia pro divini numinis iudicio sumitur. Porrò Dei gratia & iudicio clericos ad Christianam Ecclesiam adlegendos pro divini cultus ministerio docent confertim veteres; atque in eo syna-

gogæ & Levitici generis cum Ecclesia catholica & ejus ministris constituunt discrimen. Augustinus : *Deus non ex genere carnis & sanguinis, sicut erat primum secundum ordinem Aaron, sed sicut oportebat in testamento novo, ubi secundum ordinem Melchisedech summus sacerdos est Christus, pro cuiusque merito quod in eo divina gratia contulerit, Levitas & sacerdotes eligit.* Scriptor sermonis de unctione chrisimatis inter opera Cypriani : *Nec sunt hereditariæ successiones Pontificum, vel uni Leviticæ tribui ministeria assignata, sed de omni tribu, gente, & lingua, quos dignos & idoneos divina probat electio, secundum vitæ, non generis, meritum statuit sacerdotes.* Quod elegantissimis verbis Leo I. significat sermone secundo in die anniversario assumptionis suæ. *Cum hujus divini sacerdotii sacramentum etiam ad humanas pervenit functiones, non per generationum tramitem currit, nec quod caro & sanguis creavit eligitur, sed cestante privilegio patrum, & familiarum ordine prætermisso, eos rectores Ecclesia accipit quos spiritus sanctus præparavit, ut in populo adoptionis Dei, cujus universitas sacerdotalis atque regalis est, non prærogativa terrenæ originis obtineat unctionem, sed dignatio cælestis gratiæ gignat antistitem.* Quare de clericis exemplo

exemplo Matthiæ dici poterit, eos iudicio Dei ad ministerium assumptos, sortem sive κλη̃ρον super eos cecidisse, atque adeo rectè clericorum nomen illis inditum.

VII. Attamen, ut verum fatear, ex ipsis scripturæ verbis petenda est, absque ullis conjecturarum anfractibus, clerici nominis origo. Κλη̃ρος non solùm significat res soli hereditarias, ut monuimus, sed quicquid alicui obvenit, sive munus aut functio publica ad quam se aliquis adiungit, in qua à reliquis secernitur. Vnde duo harum sortium genera inveniuntur in scriptura, *sortes sanctorum*, quæ pertinent ad omnes Christianos, qui ex speciali veri Dei cultu à paganis distinguntur, ut cap. I. epistolæ ad Colossenses: εὐχαριστοῦντες τῷ θεῷ καὶ πατρὶ, τῷ ἰστανῶσαντι ἡμᾶς εἰς τὴν μερίδα τοῦ κλη̃ρου τοῦ ἁγίου ἐν τῷ φωτί. Pars sortis sanctorum in luce sunt Christiani, qui lucem habent comitem, in quo differre eos à Iudæis insinuat Apostolus: qui quidem pars quoque sortis erant à gentilibus segregati, ut significatur Deuteron. xxxii. Sed immerfi erant tenebris post promulgatum evangelium.

VIII. Eodem sensu explicandus est Petri Apostoli locus I. Pet. v. *non dominantes in clericis, ὡς μὴ κατακυριεύοντες τοῦ κλη̃ρον, ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τοῦ ποιμνίου.* Ma-

net enim Ecclesiæ rectores ut fidelium gregem placidè regant, nec dominandi fastu in eos turgeant, sed se ipsos in vitæ emendatæ exemplum præbeant. Quare clerici hoc loco gregem universum Christianorum significant, non autem solum clericorum ordinem; quamvis ad eos quoque specialiter accommodari possit, qui sunt pars præcipua gregis sive cleri. Vnde ad clericos hunc locum transtulerunt veteres nonnulli. Oecumenius: Κληρον ὁ πῖν ἱερον σύστημα χαλεῖ ὡσπερ νδν ἡμεῖς.

IX. Sed alia est *sors ministerii*, quæ solos clericos respicit, & unde illis nomen est datum. Ejus mentio conceptis verbis habetur Actor. cap. i. ubi de substituendo in Iudæ locum aliquo agit Petrus. Ait quippe proditorem illum obtinuisse munus apostolatus, ἔλαχε τὸ κληρον τῆς ἀποστολῆς ταύτης; quam deinde ex Davidis psalmo juxta LXX. interpretes ἑπισκοπήν id est episcopatum vocat. Sors ergo sive κληρον ministerii pertinet ad pastores eorumque ministros, quemadmodum sors sanctorum omnes Christianos complectitur. Videtur autem Lucas nomen illud κληρον ad ministerium Ecclesiæ significandum usurpasse, ductus auctoritate LXX. quos sequitur dum laudat veteris testamenti loca. Etenim Hieremias cap. xii. ubi Iudæos

pastores ob negligentiam carpit, adjungit
 minas: οἱ κληροὶ αὐτῶν οὐκ ὠφελήσουσιν αὐ-
 τοῖς, *cleri eorum non proderunt illis.* ac si
 diceret munus illud publicum, quo à ce-
 teris secernuntur, non eis profuturum ut
 se à pœnis commeritis subducant. Sanè
 veteres verba illa Hieremiæ, ob mune-
 rum similitudinem à Iudæo ministerio
 translata, corpori & ordini clericorum
 Ecclesiæ Christianæ accommodant. Ori-
 genes homilia septima in Hieremiam:
*Hæc ante me alij exposuerunt. Et quia non
 improbo interpretationem eorum, consentiens
 eandem profero. Nos qui putamur aliquid
 esse, id est, qui in clericatus vobis ordine
 præsidemus, in tantum ut quidam de mi-
 nori gradu ad hunc locum cupiant perveni-
 re, nosse debetis non statim in eo salvandos
 quia clerici sumus. Multi enim & Presby-
 teri pereunt, & laici beatissimi reperiuntur.*
 Epiphanius in epistola ad Ioannem Hie-
 rosolymitarum: *Oportebat nos, dilectissime,
 clericatus honore non abuti in superbiam,
 sed custodia mandatorum Dei & observa-
 tione diligentissima hoc esse quod dicimur. Si
 enim sancta scriptura loquitur, cleri eorum
 non proderunt eis, quæ arrogantia clerica-
 tus conducere nobis poterit, qui non solum
 cogitatione & sensu, sed etiam sermone pec-
 camus.* Hieronymus quoque in commen-

tario hujus loci : *Dicitur hoc & Ecclesiasticis. Quid enim eos juvare poterit Episcopi nomen & Presbyteri vel reliquus ordo ecclesiasticus, cum magis graventur dignitatibus suis, & potentes potenter tormenta patientur?*

X. Occasione hujus loci præmittendum non est, ab Hieronymo, non solum isthic, sed in commentarijs quoque ad Oseam & Abdiam, sacerdotes aliosque ministros vocari Ecclesiasticos. Ambrosio quoque tributus commentarius eadem voce utitur, tum in prima ad Timoth. cap. v i. tum in secunda cap. i i. *Ecclesiasticus, inquit, idcirco Deo se probat ut huic devotus officium impleat quod spondit, in Dei rebus sollicitus, à seculari negotio alienus.* Cujus appellationis causa non est inquirenda subtilius, quòd ipsa met se prodat ex vocabuli prolatione; nempe quia clerici ministerijs Ecclesie sunt addicti, sicut Palatini dicuntur in Codice qui militant in palatio. Si quis tamen aliquid sublimius sapere velit, poterit nomen istud arcessere ex loco Pauli ad Hebræos cap. x i i. ubi Apostolorum collegium fide & animo, quamvis non loco, conjunctorum vocat Ecclesiam primitivorum. Conversos enim Iudæos ait per fidem accessisse ad montem Sion

& cœlestem Hierusalem, ad conventum angelorum, & ad Ecclesiam primitivorum sive primogenitorum, qui sunt descripti in cœlis. Rectè de Apostolis hunc locum explicat Ambrosius: qui quidem cum primitias spiritus habuerint, (ut loquitur idem Paulus *Rom. VIII.*) dicuntur *πρωτότοχοι* sive primitivi juxta Latinum interpretem, id est, primi per Christum regeneriti. Eorum autem nomina, etiam cum viverent, descripta erant in cœlo sive recensita in albo civium cœlestium ob jus civitatis illius adipiscendæ, quemadmodum primogeniti Israelitarum scripti erant in matricula & libro censuali civitatis suæ *Num. c. I.* Quare cum Episcopi succedant Apostolis, illorum corpus, adjunctis quoque ministris inferioris gradus, Ecclesia dici poterit eleganter ex auctoritate scripturarum, ut vulgò quoque vox illa usurpatur, & viri ipsi poterunt Ecclesiastici nuncupari juxta veterem usum quem secuti sunt Hieronymus & Ambrosius.

XI. Reliqua pars Ecclesiæ à Clericis distincta laicorum nomine comprehenditur, ut dixi, honesto quidem illo, non autem humili & abjecto, ut blaterant hæretici, quò hac quoque in re de fastu clericorum conquerendi occasionem cap-

tent. Laici dicuntur $\Sigma\pi\omicron$ & $\lambda\alpha\omicron\delta$. Porro hac dictione significatur in scripturis ex versione L X X. populus Dei, quem ille sibi peculiarem & hereditarium fecit, segregatum à colluvie gentium, synagogæ temporibus primùm, sed excellentiùs post evangelium promulgatum.

XII. Quare clerici erunt in Ecclesia pars quidem populi illius selecti, sed præcipua, utpote quibus regendæ Ecclesiæ post Episcopos & ministros inferiores cura concredita est. Laici verò constituent alteram populi Christiani partem sub nomine generali & $\lambda\alpha\omicron\delta$. Simile discrimen reperies in civitatibus Romanis; quæ duabus partibus constare dicuntur, ordine & plebe. Ordo significat Duumviros aliosque magistratus municipales & Decuriones. Plebis autem nomine reliquus civitatis populus designatur. Quare eleganter istud loquendi genus è foro transtulit in Ecclesiam Tertullianus; qui quos uno in loco clerum & laicos, altero ordinem & plebem vocat. *Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per ordinis confessum sanctificatus.*

*Tertull. c. 7.
de exhort.
castit.*

